

Neque tamen temerè, & sine grauiſſima præceptoris mei Mæſtlini clariffimi Mathematici authoritate, hanc ſectam amplexus ſum. Nam is, etſi primus mihi dux & præmonſtrator fuit, cum ad alia, tum præcipuè ad hæc philoſophemata, atque ideo iure primo loco recensere debuiffet: tamen alia quadam peculiari ratione tertiam mihi cauſam præbuit ita ſentiendi: dum Cometam anni 77 deprehendit, conſtantiffimè ad motum Veneris à Copernico proditum moueri, & capta ex altitudine ſuperlunari coniectura, in ipſo orbe Venerio Copernicano curriculum ſuum abſoluere. Quòd ſi quis ſecum perpendat, quàm facilè falſum à ſeipſo diſſentiat, & econtrà, quàm conſtanter verum vero conſonet: non iniuria maximum argumentum diſpoſitionis orbium Copernicanæ vel ex hoc ſolo cœperit.

*Vt autem ea omnia, quæ de hypotheſibus vtriuſq; dixi, veriſſimè ita ſe habere deprehendas: accipe hanc breuem explicationem hypotheſium Copernici, duasq; tabulas ad hoc facientes.*

Pro cognoſcendo ordine Sphærarum Mundi ſecundum Copernici ſententiam, intuere Tabulam primam in fine huius capituli, et quæ ei adſcripta ſunt. Terræ pro diuerſo reſpectu tribuuntur à Copernico motus quatuor (Copernicus breuitati intentus tres dicit, qui reuera quatuor ſunt) qui omnes reliquorum Planetarum motibus aliquam apparentem varietatem conciliant.

Primus eſt ipſius Sphære ſeu Orbis, qui tellurem ceu ſtellam circa Solem annuatim circumagat. Atque is orbis, cum ſit eccentricus, eccentricitate in ſuper mutabili, tripliciter nobis conſiderandus eſt. Initiò remota eccentricitate; Orbis igitur hic, motusque Terræ has commoditates præſtat: quòd non indigemus tribus eccentricis in uſitatis hypotheſibus, ſcil. Solis, Veneris & Mercurij. Nam pro eo, quòd terra circa hos tres planetas circumuehitur, Terricolæ exiſtimant tres illos circa ſe immobiles circumuehi. Sic ex vno motu tres faciunt. Quòd ſi plures eſſent ſellæ intra orbem terræ, pluribus etiam hunc motum aſcriberent. Cadunt etiam hoc orbe poſito tres magni epicycli, Saturni, Iouis, & Martiſ, cum eorum motibus. Id quomodo accidat, in adiunctis parallelis

lelis